

CAPUT XXXV.

Missæ solemnæ, vel per Episcopum, vel per aliquam Dignitatem celebranda in diebus electionis et consecrationis ejusdem. Paramenta sint coloris festo convenientis; si vero feriata dies sit, erunt alba. Collecta pro Episcopo in eadem Missa dicenda.

1. Singulis annis, in diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi, Missam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, ipso præsentem, celebrari convenit; quæ, si dies electionis, seu consecrationis venerit in die aliquo festivo, celebrabitur de festo, cum paramentis, festo convenientibus, et cum commemoratione pro Episcopo.

2. Si vero venerit in die feriato, celebrabitur, prout in Missali, cum paramentis albis, et una tantum Collecta pro Episcopo, videlicet: *Deus, omnium fidelium Pastor et Rector, etc.*, et si Episcopus celebret, dicat in Oratione *Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ, etc.*, sed in reliquis omnia circa cæremonias servabuntur, quæ supra propriis in locis explicata fuerunt.

CAPUT XXXVI.

Anniversarium pro Episcopo proxime defuncto celebrandum. Missa solemnæ pro Defunctis ea die coram Episcopo cantanda. Sermo post Missam omittatur. Absolutio in fine per Episcopum cum paramentis nigris fiat.

1. Episcopus vivens, prædecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro ejus anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missæ pro ejus anima, ab aliqua dignitate, seu Canonico celebrandæ, præsens assistere, et in fine absolvere.

2. Missa autem erit Defunctorum, et in ea omnia tam circa ornamentum altaris, et indumenta, ac paramenta Missalia, quam circa genuflexiones et cæremonias, servabuntur, quæ supra declarata fuerunt in *Capite xi. Lib. ii. de Missa Pontificali pro Defunctis*, et in *Cap. xii. ejusdem Lib. de Missa pro Defunctis*, quæ coram Episcopo celebratur.

3. Non tamen post Missam sermo habendus erit; sed finita Missa, solus Episcopus, deposita cappa, apud sedem suam parabitur pluviali nigro cum cæteris indumentis, et habens ante se pannum nigrum extensum, seu lecticam mortuorum, absolyet, prout ibi dicitur.

CAPUT XXXVII.

Anniversarium omnium Episcoporum quotannis in Cathedrali faciendum. Quomodo Episcopus Missæ huic assistat, et absolutio faciendæ sit, vel ab ipso Episcopo, vel a celebrante.

1. Aliquo die non impedito, infra Octavam Defunctorum, arbitrio Episcopi, Canonicus aliquis, seu Dignitas Ecclesiæ Cathedralis, celebrabit Missam pro animabus omnium Episcoporum, et Ecclesiæ Cathedralis Canonice defunctorum, cum paramentis nigris, et cæremoniis, prout supra dictum est, cui Missæ Episcopus præsens erit cum cappa, et in fine, si voluerit, poterit, immo debet, deposita cappa, et accepto pluviali, absolvere, prout dicitur *Capite præcedenti*.

2. Quod si Episcopus hujusmodi Missæ præsens non erit, vel absolvere nequiverit, celebrans, finita Missa, accedet ad cornu Epistolæ altaris, ubi in plano deposita planeta et manipulo, accipiet pluviale nigrum, et stans in dicto cornu Epistolæ, versus ad altare, expectabit finem Responsorii, et interim clerici, seu alii, extendent pannum

nigrum ante gradus altaris, vel portabunt illuc lecticam mortuorum, nisi alias a principio Missæ fuerit accommodata.

3. Quando per cantores repetitur Responsorium, post Versiculum *Requiem æternam, etc.*, accedet Cæremoniarius ad Episcopum, si aderit, cum thuribulo, et ministrante naviculam Presbytero assistente, Episcopus imponet thus in thuribulum cum benedictione solita, quod Cæremoniarius portabit ad altare; et alicui Capellano celebrantis consignabit, tenendum juxta cornu Epistolæ altaris, ubi etiam alius Capellanus tenet vas aquæ benedictæ cum aspersorio.

4. Si vero Episcopus præsens non erit, ipse celebrans imponet thus in thuribulum, ministrante naviculam Diacono.

5. Incepto *Kyrie eleison*, surget Episcopus, detecto capite: celebrans vero, dicto ultimo *Kyrie eleison*, stans, detecto capite, in dicto cornu versus ad altare, dicet intelligibili voce *Pater noster*, quod secrete complebit; et interim accedet ad medium altaris, et versus dictum pannum, seu lecticam mortuorum, ministrante Diacono aspersorium, asperget ter super eundem pannum, seu lecticam, tum ministrante eodem Diacono thuribulum, simili modo, ter thuribulum ducens, pannum seu lecticam thurificabit; deinde conversus ad altare, ex libro, super illud posito, in eodem cornu Epistolæ, dicet Versiculum *Et ne nos inducas, etc.*, et alios Versiculos, et Orationem, et in fine, Versiculum *Requiem æternam dona eis, Domine, etc.* et dicto per cantores Versiculo *Requiescant in pace*, celebrans redibit in sacristiam, ad se exuendum.



CAPUT XXXVIII.

Episcopi ægrotantis quæ cura et studia esse debeant. Fidei professionem emittat. A quo, et quomodo sacrum Viativum suscipiat. Veniam petat de negligentis coram Capitulo, Parochis et Curatis, et rursus fidei professionem faciat. Commendet eis Ecclesiam, et pauperes, et bonum successorem adprecetur. Ecclesiæ res et scripturas manifestet. Viri religiosi ad ejus agonem assistant. Preces dicendæ statim ac vita excesserit. Quæ præstanda a familiaribus circa defuncti corpus. Induatur vestibus omnibus Pontificalibus violaceis. Ubi exponendum sit ejus cadaver. Religiosi mendicantes per ordinem in ejus funere Vigilias Defunctorum cantent, et Prior eorum absolutionem faciat. Ordo deferendi ejus corpus ad Ecclesiam. Octava, vel alia die exequiæ cum quatuor absolutionibus celebrentur. Processiones et preces habendæ pro futuro successore. Ad nuntium novi Electi gratiæ Decagendæ, et Hymnus Te Deum, in Ecclesiis cantandus.

1. Licet Episcopus, tamquam bonus Pastor, et diligentissimus villicus, omni tempore paratus esse debeat ad reddendam rationem Domino suo de ovibus sibi commissis, et de suæ administrationis officio, id tamen diligentiori cura et studio peragere debet, dum ægrotat; quasi extremo vitæ suæ diei vicinior. Nam etsi semper mortis periculum mortalibus immineat, propinquiores tamen morti sumus, dum ægrotamus.

2. Curet igitur Episcopus, ut quanto magis dignitate cæteris præest, eo majori studio ultimum hujus vitæ actum, quo solo coronari electi solent, cum laude perficiat. Quod si, dum ægrotat, tanquam homo, morbi periculum non agnosceret, medici, domestici, familiares et præcipue ejus Confessarius secrete, et summa cum reverentia, et charitate eum de discrimine vitæ, in quo versatur, moneant,

et hortentur, ut voluntati divinæ non invitus adhæreat, et quæ ad animæ salutem pertinent, peragere curet. Nam Episcopum decet, non solum verbo, sed etiam opere et exemplo, usque ad extremum vitæ spiritum, alios docere, et ad viam salutis dirigere. Medici vero, et familiares, quæ ad corporis salutem pertinent, diligentissime curent, et polliceantur Episcopo, se, quantum humana potest industria, facturos, ut, si fieri poterit, pristinam sanitatem recuperet.

3. His verbis et hortationibus excitatus Episcopus ægro-tans, vel, quod melius esset, sua sponte, cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo sacrum petat Viaticum; et antequam communicet, indutus rocchetto et stola, præsentē SS. Christi Corpore, profiteatur Catholicam fidem, ex formula, ab Apostolica Sede præscripta, quam affirmet, se semper inconcusse et firmiter tenuisse et credidisse, sequē in ea velle vivere et mori, cum Deo placuerit.

4. Tum majori, qua poterit, devotione et humilitate, sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima Dignitas, comitante Capitulo et toto clero Cathedralis Ecclesiæ in habitu Ecclesiastico, et cum candelis accensis; et, siferi potest, Magistratus deferat baldachinum, moneatque Episcopus Sacristam, seu Curatum, ut, cum tempus erit, extremæ Unctionis Sacramentum sibi administret, et animæ commendationem faciat.

5. Convocet deinde Canonicos, Parochos et Curatos omnes, dum adhuc sensus corporis integri sunt, et coram eis profiteatur iterum Catholicam fidem ex prædicta formula, petat veniam de negligentibus et imperfectionibus suis, et si quemquam unquam in sua administratione offenderit, roget, ut orent Deum omnipotentem pro anima sua; commendet illis Ecclesiam, pauperes, viduas, orphanos et loca pia; memoret eis, ut donec de successore provideatur, continuas preces ad Deum fundant, ut eis bonum Pastorem

concedere dignetur, qui eos uberius, quam ipse fecit, pascere noverit.

6. Aperiat etiam eis debita et credita Ecclesiæ, si quæ sunt; et notificet scripturas, jura et actiones ejusdem Ecclesiæ; condat, si velit, et si habeat ab Apostolica Sede facultatem, testamentum, et eligat sibi sepulturam.

7. Cum vero hora mortis appropinquat, petat, ut sibi administretur extremæ Unctionis Sacramentum, et animæ commendatio fiat, prout in Rituali Romano. Viri pii et religiosi continue assistant Episcopo animam agenti, cui crucem inspiciendam, osculandamque crebro offerant; redigantque ei ad memoriam Passionem D. N. Jesu Christi. Nec desint Religiosi et Sacerdotes, qui continue, dum adhuc expirat, Psalmos, Passionem Christi Domini, et alias devotas orationes legant.

8. Postquam Episcopus spiritum Creatori reddiderit, Canonici, qui aderunt, singuli super eum Versiculum *A porta inferi, etc.*, cum Oratione *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, etc.*, recitabunt. Cubicularii vero et familiares ipsius Episcopi defuncti corpus aqua calida cum vino, et herbis odoriferis lavabunt, et mundabunt; et si hæredibus videbitur, poterit etiam aperiri, et aromatibus condiri; quo casu intestina ejus statim sepeliantur in Ecclesia.

9. Sed licet corpus non aperiatur, omnino agendum, et curandum est opportunis remediis, ut sine foetore usque ad præstitutum tempus sepulturæ servari possit.

10. Loto et terso corpore, clerici familiares, seu alii Ecclesiastici viri, cum Magistro cæremoniarum, induant illud primum vestibus ordinariis usque ad rocchetto, deinde sacris vestibus, quibus vivens induebatur, dum solemniter erat celebraturus; hoc est, caligis et sandaliis, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, manipulo, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, planeta coloris violacei, annulo, et mitra simplici, ac etiam pallio, cum spinulis, si erit Archiepiscopus, vel alias utens pallio, et

ponant super pectus ejus crucem aliquam, quam manibus teneat.

11. Corpus sic indutum, donec præparetur lectus in aula majori, ut infra, ponatur super aliqua mensa, seu in terra super tapete, cum cereis ardentibus ad caput, et pedes.

12. Interim cæteri Episcopi familiares inferiores, et famuli totam domum denudent, et in aula majori palatii, sive domus, præparent lectum ex tabulis altitudinis palmorum sex, longitudinis ad minus palmorum duodecim, et latitudinis palmorum decem, vel ad minus octo, et super illud ponatur stratum ex lana, seu palea plenum, et cooperiatur panno serico nigro, vel saltem laneo. Ad lecti pedes præparetur parva mensa mundo linteo cooperta, et super ea duo candelabra cum candelis accensis, liber Missalis, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula et incenso; ac unum superpelliceum cum stola, et pluviale nigrum ponantur.

13. Quibus omnibus sic paratis, corpus Episcopi defuncti, ut supra indutum, portetur in dicta aula, et super dicto loco collocetur, et ad pedes ejus ponatur pileus Pontificalis, floccis sericis viridibus ornatus, et hinc inde a lateribus ponantur scamna cum foraminibus pro funalibus, seu intorticiis ponendis circa corpus; vel saltem, illis deficientibus, collocentur quatuor candelabra alta, cum quatuor intorticiis ardentibus ad quatuor lecti angulos.

14. Circumcirca per totam aulam disponantur sedilia pro Canoniceis, Clericis, Magistratu, civibus, et aliis, qui venient ad honorandum funus.

15. Hora competenti, cum jam, si non omnes invitati ad funus, saltem eorum aliqui advenerint, clerus sæcularis per ordinem, vel Religiosi quatuor Ordinum Mendicantium, si in civitate adsint, qui invitari debent, vel alii per singula Collegia, incipient Vigiliis, hoc est Vesperas et Ma-

tutinum cum Invitatorio, et tribus Nocturnis, ac Laudibus Defunctorum.

16. Primi, id est inferiores, a quibus inchoandum est, nam ultimus locus dignioribus Religiosis reservatur, inchoabunt Vesperas: Prior enim eorum, habens ante se legile cum libro, alta voce incipiet Antiphonam *Placebo Domino*, quam cæteri ejusdem Religionis fratres, qui prope funus ante alios hinc inde stare debent, prosequentur: et, ea finita, sedentes, recitabunt alternatim Psalmos Vesperarum cum Antiphonis duplicatis, prout fieri solet in Officio duplici; et dum inchoantur Psalmi, eisdem fratribus, qui cantant, candelæ distribuendæ sunt, prout et cæteris, quando Nocturnos et Laudes cantabunt, ut infra.

17. Ad Canticum *Magnificat*, surgunt omnes, et Prior illorum Religiosorum, qui Vesperas cantaverunt, accedet ad mensam ad pedes lecti, et ibidem a Cæremoniario, vel aliis clericis induetur superpelliceo, stola et pluviali, et imponet thus in thuribulum.

18. Finitis Cantico *Magnificat* et Antiphona, stans ibidem ad pedes lecti ante mensam prædictam, manibus junctis, dicet *Pater noster*, et interim, accepto aspersorio de manu Cæremoniarii, vel alterius clerici, incipiendo a parte sua dextera, asperget lectum, aspergendo ter in singulis lateralibus partibus tantum, et dum transibit ante Canonicos, illos capite aliquantulum inclinato salutabit. Et postquam reversus fuerit, in eodem loco apud mensam, reddito aspersorio, capiet de manu ejusdem Cæremoniarii, vel alterius clerici thuribulum, et lectum similiter eodem modo thurificabit: quo facto, stans ante prædictam mensam, reddito thuribulo, et habens ante se librum apertum, ex eo leget Versiculos et Orationem infrascriptam, videlicet:

℟. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℣. *Sed libera nos a malo.*

℟. *A porta inferi.*

℣. *Erue, Domine, animam ejus.*

℟. *Requiescat in pace. ℣. Amen.*

✠. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

✠. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

OREMUS. Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, etc. Deinde dicit Versiculum *Requiem æternam*, etc. Demum duo ex fratribus cantantibus subjungunt *Requiescat in pace*, et cæteri respondebunt *Amen*.

19. Finitis Vesperis, Religiosi, qui illas cantarunt, discedunt, et vocantur alii Religiosi, qui Matutinum, hoc est, Invitatorium cum tribus Psalmis primi Nocturni, et Lectionibus cantabunt; et dum cantatur Invitatorium, usque ad initium primi Psalmi, omnes stare debent.

20. Finitis Psalmis primi Nocturni, duo cantores, sive duo ex fratribus, qui Nocturnum cantarunt, annuntiant Versiculum *A porta inferi*, et respondetur *Erue, Domine, animam ejus*; quo dicto omnes surgunt. Tunc unus ex eisdem Religiosis, Lectionem cantaturus, accedit ad pulpitem, seu legile; et secrete dicto ab omnibus *Pater noster*, quod totum sub silentio completur, omnes sedent; ipse Lectionem incipit; et ea finita, cantores cantant Responsorium, et alii duo ex eadem Religione cantant secundam et tertiam Lectionem.

21. Finita ultima Lectione, dum cantatur tertium Responsorium, Prior ejus Religionis, quæ Nocturnum cantavit, accedit ad mensam, induitur superpelliceo, stola et pluviali; et cum dicitur Versiculum *Requiem æternam*, etc., imponit thus in thuribulum: et in fine, cum dicitur *Kyrie eleison*, surgunt omnes, et Prior dicat *Pater noster*, aspergat et thurificet lectum, ut supra in Vesperis, et cantet eosdem Versiculos et Orationem, ut supra dictum est.

22. Quo facto, alii Religiosi vocentur, et cantent similiter secundum Nocturnum; et, eo finito, alii, qui cantent tertium eodem modo et forma, prout de primo dictum est. Demum ultimi et digniores Religiosi cantent Laudes eadem

forma, prout decantatae fuerunt Vesperae, et ad *Benedictus* et Orationes, etc., omnes surgant, ut supra.

23. Quod si non adessent tot Religiones, quæ possent distincte Vesperas, et Nocturnos, et Laudes prædictas decantare, posset una cantare duos Nocturnos, vel plures: sed omnino in fine Vesperarum, cujuslibet Nocturni, et Laudum, aspergendus et thurificandus est lectus, et dicendi Versiculi, et Orationes, ut supra. Et e contra, si essent plures Conventus, et Religiones, poterunt duo simul cantare unum Nocturnum, et alii alia, prout melius videbitur.

24. Dum cantantur Laudes, paretur feretrum; et illis finitis, ponatur corpus Episcopi defuncti super feretrum, et præcedentibus omnibus Religiosis et clero, ordine suo, ad Ecclesiam deducetur; feretrum autem portabitur per Sacerdotes, cottis indutos. Canonici feretrum immediate præcedant, Magistratus vero, cum cæteris omnibus invitatis, et de civitate, sequantur.

25. Prædictum feretrum collocetur in medio Ecclesiae, et ibidem Prior, seu dignior Canonicorum, vel prima dignitas, si adsit, indutus pluviali, faciet Officium, hoc est, dicet ad pedes feretri *Pater noster*, imponet thus, asperget et thurificabit, ut supra, et demum cantabit Versiculos, et Orationem supradictam. Quo facto, cantetur Missa pro ejus anima (curæ namque sit Cæremoniariis, ut cadaveris delatio in Ecclesiam semper de mane fiat) et in fine solitæ absolutiones habeantur, ut in Pontificali: hisque expletis, defuncti corpus de more, summa, qua decet, reverentia sepeliatur.

26. Si vero id tempus, et hora non ferant, octavo die, vel quando (non ultra tamen diem trigesimum) hæredibus et executoribus defuncti placuerit, in Ecclesia celebrentur exequiæ cum quatuor absolutionibus, et omnibus cæremoniis, quæ supra expressæ sunt in hoc eodem Cap. xi. de Missa Pontificali pro Defunctis, etc.

27. Sepulto Episcopo, donec de novo successore provisum fuerit, preces ad Deum continue offerendæ sunt pro opportuna novi Episcopi electione impetranda: et conveniret, ut singulis diebus, vel saltem semel in hebdomada, Religiosi processionaliter ad Ecclesiam Cathedralis accederent, Litanias cantantes, et ibidem pias et devotas orationes recitarent, cum Canonicis et clero ejusdem Ecclesiæ Cathedralis, ut Deus illis quamprimum concedere dignetur novum et bonum Pastorem, qui Ecclesiam regere, et animarum curam digne et fructuose habere valeat et possit.

28. Qua electione obtenta, quamprimum de ea nuntium certum habuerint, singuli Religiosi ad Ecclesiam Cathedralis accedentes, Deo gratias agent, et Hymnum *Te Deum*, etc., devote cantare poterunt in Ecclesia.


CAPUT XXXIX.

Qua vocis modulatione Confessio per Diaconum post sermonem recitanda sit. Forma Indulgentiæ publicandæ per sermocinantem, ac benedictionis ab Episcopo post ipsum sermonem impertiendæ.

1. Statim finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum gradum solii, conversus ad Episcopum stantem cum mitra, capite inclinato, cantabit confessionem in tono, prout habetur in Rituali Romano; et dum dicit *Tibi Pater*, et *Te Pater*, si fuerit Canonicus, profunde se inclinabit, si non fuerit Canonicus, genuflectet.



Con-fi-te-or De-o om-ni-po-ten-ti : be-a-tæ



Ma-ri-æ sem-per Vir-gi-ni : be-a-to Mi-




cha-e-li Archan-ge-lo : be-a-to Jo-an-ni



Ba-p-ti-stæ : san-ctis A-po-sto-lis Pe-tro et



Pau-lo : o-mni-bus San-ctis, et ti-bi



Pa-ter.

Quod dum dicit, genuflectit vel se inclinat coram Pontifice, ut supra: tum surgit, et continuat:



Qui-a pec-ca-vi ni-mis, co-gi-ta-ti-o-ne,



ver-bo et o-pe-re : me-a cul-pa, me-a



cul-pa, me-a ma-xi-ma cul-pa. Id-e-o pre-cor



be-a-tam Ma-ri-am sem-per Vir-gi-nem :



be-a-tum Mi-cha-e-lem Arch-an-ge-lum :




be-a-tum Jo-an-nem Ba-pti-stam : san-clos



A-po-sto-los Pe-trum et Pau-lum : omnes



San-ctos, et te Pa-ter : o-ra-re pro me



ad Do-mi-num De-um nostrum.

2. Finita confessione per Diaconum, Episcopus sedet, et sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, genuflectet, surgens publicabit Indulgentiam in forma sequenti, videlicet.

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus N. Dei, et Apostolicæ Sedis gratia, hujus sanctæ Ecclesiæ Episcopus dat et concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini Nostri N. Divina providentia Papæ N. Dominationis suæ Reverendissimæ, et sanctæ Matris Ecclesiæ.

3. Publicata Indulgentia, Episcopus, deposita mitra, surget, et leget ex libro, per ministrum, de eo servientem, supra caput sustentato, in tono Orationis versus ad populum, ut infra, videlicet :

Precibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ʒ. Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ʒ. Amen. Deinde, reassumpta mitra, benedicens populo, more consueto, dicet : *Et benedictio Dei omnipotentis Pa-tris, et Fi-lii, et Spiritus sancti descendat super vos, et maneat semper. ʒ. Amen.*

4. Si autem erit Archiepiscopus, statim, publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, et Archiepiscopus surgens, deposita mitra, prius Cruci caput profunde inclinabit, et deinde adhuc stans, prosequetur *Precibus, etc.*, et sic detecto capite, solemniter benedicet.